

minimum inde convellatur. Vide Libertates Ecclesiæ Gallicanæ in compendio relatas à *Petro Puteano*, *Laurentio Bachello* in decretis Ecclesiæ Gallicanæ & *Petro de Marca* de Concordia Sacerdotii atq; Imperii, quas sancte se conservaturum Rex hâc religionis solenni Formula se obstringit: *Promitto futurum me post hac ecclesiæ Catholicae Apostolicae & Romanae protectorem, abacturum ditone mea hæreticos: privilegia ecclesiæ conservaturum.* quam prodit *Grammondus* l.c. p.17.

§. III. Ponderemus nunc momenta quæ ad dispensationem illam atq; singulare Privilegium Romanum Pontificem movisse prætendunt Doctores Pontificii. Oleum divinitus allatum allegant, quod ad unguenda sacra Regum Capita singulari Divinæ Bonitatis beneficio solis Gallis contigisse, gloriantur, quôq; in hunc usque diem Reges dedicari officio adferunt. Ita *Grammondus* l.c. Historiam autem allati coelitus olei sancti, ad unguendum Clodoveum, Christi sacra jamjam suscepturum, *Hincmarus* ipsemet, (quæ *Albericus* in Chronico ad annum DCCC. XLV. ordinatus Remensium Archiepiscopus, testatur, qui rexit ecclesiam annis 27. mens. 7. fuitque antea Monachus S. Dionysii sub Abbate *Hilduvino*) in vitâ S. Remigii his verbis narrat: cum vero pervenissent ad baptisterium Clericus qui chrisma ferebat, à populo est interceptus, ut ad fontem venire nequiverit. Sanctificato autem fonte, nutu divino Chrismata defuit, & quia propter populi pressuram ulli non patebat egressus vel ingressus Ecclesiæ, Sanctus Pontifex oculis ac manibus protensis in coelum, coepit tacite orare cum lacrymis, & ecce subito columba nive candidior attulit in rostro ampullam chrismate Sancto repletam, cujus odore mirifico super omnes odores quos ante in baptismo senserant, omnes qui aderant inæstimabili suavitate repleti sunt. Accipiente autem Sancto Pontifice ipsam ampullulam species Columbæ disparavit.

it.